

pro 100. & qui dat taram dat 100. pro 95. plus igitur importat tara quam donum, cum fuerint aequalia.

3 Ex hoc sequitur quod varietas librarum si sit ad detrimentum reducitur ad taram, si sit ad lucrum ad donum, & hoc in exemplo librae 100. Venetæ produnt 8. pro 100. Mediolani & acquirunt 8. pro 100. Pisis, dico quod ille qui vult computare libras venetas ad Mediolanenses, debet facere per modum taræ, qui autem vult facere computum ad modum Pisanæ, debet facere per modum doni, multiplicando tamen ut in exemplo lib. 100. stanni Pisis venditur aureis 6. quantum valebunt lib. 500. Venetæ crescentes 8. pro 100. Pisis, addit 8. ad 100, fit 108. & dic si 100. valet 6. quid valebunt 108, & valebunt  $6\frac{12}{25}$ , duc in 5. fiunt 32  $\frac{2}{5}$  vel aliter die si 100. fit 108. fient igitur 500. librae 540. Pisis, si igitur 100. valet 6. quid valebunt 540 & valebunt  $32\frac{2}{5}$ , at cum decrescant ut diximus fiunt præcisæ per modum primum videlicet pe taram.

4 Cum autem accedunt vestigalia, aut expensæ, conductiones, & talia tunc facies rationem computatis omnibus in tota summa, deinde mundabis à dono, & tara, & post modum scies verum pretium.

Exemplum lib. 100. croci habent taræ libras 4. doni autem libras 4. pretium pro 100. est lib. 81 3. queritur quantū valebunt lib. 193. iam mundata, addit donum supra 100. & fiunt 105, & detrahe taram à 100. fiunt 96. dic igitur si 100. fit 96. quid fiet 105. duc 105. in 96. fiunt 10080. diuide per 100. exeunt 100  $\frac{4}{5}$ . deinde dic 100.  $\frac{4}{5}$  fiunt ex 100. quid fiet ex 193. duc 193 in 100.  $\frac{4}{5}$ : fiunt 19454  $\frac{2}{5}$  diuide per 100. exeunt 104. librae & vnciae 6  $\frac{66}{125}$  & hoc est purum quod vendi potest, deinde quia emisti cum dono, dic si 105. valet libris 903. quid valebunt librae 193. croci, duc 193. in 903. & diuide per 105. & fiunt 1659  $\frac{81}{105}$ : & hoc est pretium librarum 194. vnciarum 6  $\frac{66}{125}$  croci.

Oportet autem in talibus vti solertia, & frequenti vsu, ne quis decipiatur, vtendo econuersò regulis, facile enim aut decipiatur, aut hæsitat inexpertus.

5 His autem visis si differentia sit in monetis, scies utilitatem per capitulum de Cambiis, & si sit in ponderibus reduces per capitulum transmutationum, hæc autem duo in ultimam operationem relinquere licet, potes tamen & per modum taræ ponderum diuersitatem aut doni, computare, ita tamen ut taram post taram, & non per coniunctionem, & donum post donum inuenias.

6 Cum autem admiscetur aliiquid inutilis non tamen omnino, sed vilioris pretij, tunc separa vnum ab alio, & inuenies pretium & taram cuiuslibet, & post congrega omnia simul, & sit exemplum gariofilis continentur gariofilii grossi librae 12. pro 100. & piperis librae 7. pro 100. & tara est librae, 2. pro 100. & pretium gariofilorum est aureorum 48. pro 100. & grossorum aurei 36: & piperis aurei 28. queritur quantum valebunt librae 3727. tunc dic si 100.

dat 12. & 7. quid dabunt 3727. & dabunt grossorum 44824. abcisis duabus litteris videlicet 447  $\frac{6}{27}$  & piperis 260  $\frac{29}{100}$ : eritque residuum videlicet libræ 3018.  $\frac{8}{100}$  & ita inuenies taram per prædicta, ducendo tres terminos videlicet 447  $\frac{6}{27}$  & 260  $\frac{29}{100}$  & 3018  $\frac{8}{100}$  in 2. & abiiciendo duas litteras deinde detractâ tarâ per regulam trium inuenies pretium in unoquoque.

Cum autem volueris scire modum emendi aut vendendi ad terminatum lucrum, tunc scias esse quatuor modos, aut enim emptione, aut venditione, aut venditio ex venditione, aut emptione cognoscitur, hoc autem dupl' iter aut cum permutatione lucri, aut sine ea, & hoc etiam dupliciter, aut in simili pondere, aut ex grosso volumus cognoscere minutum exempla sunt hæc.

Quanti emetur lana ut vendita aureis 6. pro 100. lucrari possim 20. pro 100. igitur dices si 120. fit ex 100. ex quo fiet 6. & duc 6. in 100. fit 600. diuide per 120. exit 5. & tanti emetur videlicet 5. aureis pro 100.

Emi lanam pro 5. & lucratus sum 10. pro 100. vellem emere tanti ut vendita pretio lucrarer 20 pro 100. igitur per primum exemplū quando lucrabatur 10. tunc 110. fiebat ex 100. & ideo cum eodem pretio vendantur vtroque modo, igitur dices si 120. fit ex 100. ex quo fiet 110. & erit ex 91  $\frac{2}{3}$  cum igitur 100. quod fuit in primo capitale fit 110. lucror 10. pro 100. & cum 91  $\frac{2}{3}$  fit 110. lucratur 20. pro 100. igitur dic si 100. fit ex 91  $\frac{2}{3}$ , ex quo fiet 5. & fiet ex 4  $\frac{7}{12}$ .

Emi lanam quam vendendo aureis 6. lucratsum sum 5. pro 100 quanto pretio vendenda erit ut lucrer 20. pr 100. dices igitur aurei. 6. habent rationem 105. qui autem vult lucrari 20. pro 100. vult facie 120. dic igitur si 105. fiet 120. quid fiet 6. duc 120. in 6. fit 720. diuide per 105. exit 6  $\frac{6}{7}$ .

Vendidi lanam aureis 6. lucratsum sum 5. pro 100 vendendo 7. quantum lucrabor, adde lucrum primum ad 100. fit 105. diuide per 6. exit 17  $\frac{1}{2}$ : duc in 7. fit 122  $\frac{1}{2}$ : auferas 100. remanent 22  $\frac{1}{2}$ : lucrum pro 100 vel aliter dic si 6. producit 105. quid producet 7. duc 7. in 105. fit 735. : diuide per 6. exit 122  $\frac{1}{2}$  ablato 100. remanent 22  $\frac{1}{2}$  pro 100. lucrum.

Vendidi lanam aureis 10. pro 100. & perdidi 10. queritur quanti emi dic igitur si 90. fit ex 100. ex quo fiet 10. duc 10. in 100. fit 1000. diuide per 90. exit 11  $\frac{1}{9}$ .

Emi lanam quam vendidi 6. aureis, quod si emissum aureo minus lucratus forem 20. pro 100 dic igitur per primum exemplum igitur si empta fuisset aureis 5. ad hoc ut vendendo pro 6. lucaretur 20. pro 100. sed ex quæsito dignoscitur quod fuit empta aureo vno plus igitur empta fuit aureis 6. pro 100. & ita bellus iste Interrogator nihil lucratus fuit.

Emi lanam tanti & tanti vendidi, quod si emissum aureo vno minus & vendidisse 7 aureo vno plus, lucratus fuisset 40. pro 100. igitur qui lucrat 10. pro 100. facit ex 10